Tentamen physiologico-medicum inaugurale, de mensibus et naturaliter et immodice fluentibus : quod ... pro gradu doctoris ... / eruditorum examini subjicit Biker McDonald, Hibernus.

Contributors

McDonald, Biker, active 1770-1786.
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie ..., 1786.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/dbykag69

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

TENTAMEN PHYSIOLOGICO-MEDICUM INAUGURALE,

DE

Menſibus et Naturaliter et Immodice Fluentibus.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

BIKER McDONALD,

HIBERNUS,

Societ. Chem. Edin. Soc. Extr.

Et

Praeſes Annuus;

Nec non

Soc. Reg. Med. Edinb. Socius.

"Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas." *Virg. Georg. lib. 2.*

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

Mr. Dobson, with best wishes from
his humble servt.
B. Mt. D.

348915

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Ornatiſſimo et praehonorabili viro,

ROBERTO CUNINGHAM

DE MOUNT-KENNEDY,

In comitatu Wicklowenſi,

Regi apud Hibernos e ſecretis conſiliis,

Senatori Hibernico integerrimo,

Et

Exercitus regii legato, &c. &c.

Qui ſummis uſus honoribus,

Honores ipſos virtute nobilitavit;

Et, rebus amplis praeclarus,

Iis liberaliter fruendo,

Nomen etiam praeclarius,

Sibi adeptus eſt.

Tot tantiſque meritis

Allectus,

Academicum hocce tentamen,

Qualecunque ſit,

Maximae pignus obſervantiae,

Offert

BIKER McDONALD.

CORRIGENDA.

Pag.	7.	lin. 17.	*pro* leve *lege* levi.
	8.	17.	*pro* totam *lege* totum.
	9.	21.	*pro* exactas *lege* exactos.
	10.	12.	*pro* ſuam *lege* ſuum.
	11.	13.	*pro* effuit *lege* effluit.
	18.	16.	*pro* alva *lege* alvo.
	—	25.	*pro* ſpaſmodicos *lege* ſpaſmodicas.
	21.	7.	*pro* nimium *lege* nimia.
	25.	1.	*pro* libere *lege* ſumendam.
	32.	19.	*pro* prodit *lege* prodeſt.

TENTAMEN PHYSIOLOGICO-MEDICUM

INAUGURALE,

DE

Menſibus et Naturaliter et Immodice Fluentibus.

PRÆTER multos generi humano communes morbos, quidam ſexui amabili proprii, et admodum numeroſi. Circa puberem aetatem, quo tempore menſes effluere ſolent, plerumque incipiunt. Catamenia vel menſes (ſic enim, quia ſingulis menſibus revertitur, evacuatio haec nominatur) plerumque ſub annum decimum quartum vel quintum erumpunt, et intra quadrageſimum quintum et quinquageſimum aetatis annum ſiſtunt. In regionibus propius Polo jacentibus, ſerius ſeſe oſtendunt, et uſque ad provectiorem aetatem fluunt; dum, e contrario, in plagis Soli propioribus maturius incipiunt, citiuſque deficiunt *. Obſervandum eſt tamen, mulieris

* Extant tamen exempla puellarum quae a teneriori multo aetate, fluxum menſtruum patiebantur; Aliaque non deſunt exempla ubi ad extremam ſenectutem

mulieris habitum corporis, moresque vitae semper in partem venire; mulieribus enim, calido temperamento et irritabili fabrica, quam aliis diverso corporis habitu, diversaque animi indole praeditis, quibus sibi indulgere, copiamque earum rerum quae faeminam immaturam accendant, muliebriaque ante tempus cieant, fortuna negaverit, etiam sub eodem coelo vitam degentibus, maturius menses erumpunt.

Auctores fere omnes mensium fluxum et secundae mulieris valetudini et generationi quoque omnino necessarium esse, consentiunt *. Sunt tamen quibus utraque sententia vana videtur. Refert Junckerus quibusdam integrae valetudinis mulieribus menses nunquam effluxisse; in mulieribus quoque Brasiliensibus satis quidem foecundis, eadem res obtinere dicitur †. De hoc vero, jure ambigitur. Auctor est Linnaeus ‡ in Laponia, mulieribus quibusdam nonnisi singulis annis fluxum solere adesse, aliisque omnino defuisse. Monet tamen, et has et illas valetudinem pariter pati; illas insuper semper steriles esse. Utcunque vero sese res habuerit, in nostra saltem regione, vel emansio vel suppressio mensium fere semper multa mala secum adfert; et magni nominis multaeque experientiae medici §, nisi stillato prius ab utero humore, se nunquam mulierem, quae ventrem tulisset, vidisse afferunt. Vix quidem sanguinem rubrum effundi necesse est, satisque videtur si etiam fluidum serosum eliminetur.

Variae

nectutem menses aderant; mihi ipsi contigit vidisse vetulam, annum aetatis septuagesimum sextum agentem, cui adhuc fluebant.

* Vide Buffon's Natural History.

† Vide Van Swieten et Buffon.

‡ Lin. Flor. Lap.

§ Young, Hamilton, &c.

Variae hypotheſes, ad menſtrui fluxus cauſam explicandam, prolatae, per tot ſecula phyſiologorum ingenia torquentes, inveſtigandi ac diſputandi amplam materiem praebuerunt. Eas hic breviter perſtringere mihi in animo eſt. Inter anatomicos, ne quidem de parte unde ſanguis ſtillet, convenit. Hic ex vagina, ille ex utero, ex venis alii *, alii ex arteriis, effundi ſanguinem contendunt. Maxime autem veriſimilis videtur opinio, quae peritiſſimis et maximae auctoritatis medicis placuit, nempe, ſanguinem ex arteriis per internam uteri ſuperficiem exhalantibus ſparſis, effuſum eſſe †. Aliquando quidem partim ex vagina menſes fluere videtur, quoniam mulieres quaedam (perpaucae licet) uterum gerentes, occluſo tunc temporis uteri ore, menſes patiuntur.

Multa ſymptomata, quae virginem, menſes inſtare moneant, praegrediuntur. Lumborum et partium circumjacentium calor et dolor, laſſitudo, anorexia, capitis dolor, comitante febre leve, aegram plurimum vexant. Rotundae fiunt et turgeſcunt mammae; ſedet in ore pallor; et oculi, priſtino lumine et nitore amiſſis, langueſcunt. Interdum per totam cutem papulae rubrae erumpunt, et aliquando (rarius licet) tonſillas, vel partem quamlibet aliam inflammatio aggreditur ‡. Erumpentibus menſibus, omnia haec mala ſolvuntur; nec ante proximam fluxus periodum, quae fere viginti octo dierum ſpatio abſolvitur, iterum urgent. Sub primis tamen menſibus, non tam ad normam quam poſtea, exacta eſt. Revertentibus denuo, revertuntur quoque ſymptomata jam narrata, ſed leviora multo, et hoc modo ſingulis volventibus periodis,

* Oſborne Praelectiones.

† Haller, Van Swieten, Morgagni, Monro, &c.

‡ Manning's Female Diſeaſes. Halleri Elem. Phyſiol. tom. 7. &c.

riodis, minus minusque molesta fiunt, donec tandem vel nullis, vel saltem perpaucis fluxus stipatus adest.

Veteres philosophi quidam, fluxus menstrui lunam arguebant; nec de illo constat, qui hypothesin istam primus excudit; Asclepiadi aliis, aliis honorem (si quidem aliquid honoris habeat) Erisistrato deferentibus. Hoc sibi forsan persuasum habebant, quod secundum lunae cursum, singulis mensibus, sanguinem utero effusum observarent, et in epilepticis et maniacis luna multum valere putaretur. Sed postquam oeconomiam animalem melius exploratam habuerant medici, sententia, neque veritate rerum, neque ratione innixa, merito spreta et rejecta erat. Et prorsus mirum videtur, Doctorem Mead, praeclarum et eruditum virum, talem opinionem ineptam, et jam per multa secula oblivione obrutam, in lucem iterum velle proferendam †.

Experientia sola ad hunc errorem refellendum satis: Certissima enim constat observatione, mulieres per totam terrarum orbem, nullo certo die, sed omnibus pariter temporibus, fluxui esse obnoxias, diversasque mulieres diversis temporibus menstruationem pati; et, per lunae cursum, nullum diem, nullam horam, etiam praeterire, quin plurimis mulieribus menses adsint. Quod quidem, si veterum doctrinae fides, nequaquam fieri posse, manifestum est; sic enim omnibus sub eodem coelo viventibus mulieribus, eodem momento menses instare, sanguinemque utero stillare necesse.

Galeni theoria deinceps insecuta est, qui, in scriptis suis, mensibus plethoram seu sanguinis redundantiam causam esse contendit,

† Mead on the Influence of the Sun and Moon.

contendit. Syſtema Galenicum chemici everterunt. Omnia chemicis principiis explicare aſſueti, et inter alia fluxum quoque menſtruum; quem fermentationi in corpore exiſtenti, vaſaque uterina erodenti, tribuerunt.

Ubi vero haec fermentatio activa per tot ante annos latebat? Cur non, aliarum fermentationum inſtar, totum ſanguinem, vel uterinum ſaltem, ad ſuam indolem aſſimilaret? Vel cur certis tantum temporibus, et non niſi in quibuſdam corporis partibus, naſcitur?

Non multis abhinc annis novam ſententiam excogitavit Doctor Emmet *, et pro ſubtilitate memoratu dignam. Ait, mulieribus venerem adpetentibus, magnam ſanguinis copiam genitalia verſus derivari, qui, venis reducentibus non facile reſorptus, partim in ſinus interna uteri ſuperficie effunditur, ibique demum ſatis collectus, utero ſtimulo eſt, quo ſe contrahente, ſanguis eliminatur.

Praeter errorem anatomicum †, in quem hic vir ingenioſus ejuſque fautores inciderunt, fictis ſinibus nunquam inventis, multa alia ſponte huic ſententiae repugnant. Siquidem vera fuiſſet, menſes conſtituto tempore effluentes, non tam ad normam exactas, quam nunc videmus obſervare eſſet: Fluxum enim hoc modo a mulieris laſciva indole, proterviſque moribus pendere; faeminiſque languidis et ſegnibus ad veneris gaudia, perraro adeſſe oportet. Narrat autem cel. Van Swieten, notas eſſe ſibi complures mulieres quae concubitum detrectabant, quibuſque tempore et quantitate juſtis, menſes effluere conſueverant: Illud quoque (quod omnino huic ſen-

* Diſſertat. Inaugural.

† Vid. Monro Praelect. Halleri, Elem. vol. 7.

tentiae obſtat) mulieres, quibus propter jam provectiorem aetatem, non amplius menſes ſunt, ſaepe procaciſſimas eſſe.

Plethorae generalis theoriae, cui nunquam poſt auctorem Galenum, defuere fautores, magnam gratiam contulerunt ſcripta Friendii, Boerhaavii, aliorumque; quorum prior, multo ingenio, multaque doctrina ejus veritatem confirmare adniſus eſt; et, quod haud parum fidei adſtruit, eaſdem partes ſecutus, in eandem ſententiam, anatomiae Profeſſor noſter jure celeberrimus ivit. De hac re ita ratiocinantur *.

Dum creſcit animal, alimenti aſſumpti pars aſſimilata, corporis diverſis partibus additur, ſicque ipſius molem adauget. Poſtquam vero acmen ſuam animal attigerit, alimenti partem, qua ad creſcendum ante opus fuerat, nunc ſupervacuam eſſe oportet, et, non amplius ſe dilatantibus vaſis, plethoram, ſeu ſanguinis copiam, quam pro vaſorum amplitudine, majorem, fieri neceſſe eſt. Praeterea, mulieres aiunt, plethorae magis obnoxias eſſe, quod fere cibi haud minus quam viri ingerunt; multo vero minus per cutem perſpirant, propter debiliorem cordis arteriarumque vim, deſidiamque vitae: Porro, veriſimile videri, ad plethoram mulieres a natura proclives eſſe, futuri foetus alendi cauſa: Sanguinis vero redundantiam, ante graviditatem, non ſolum non neceſſariam, ſed etiam nocituram, multoſque morbos retentam illaturam, utero effundi; cujus ſitus dependens laxaque fabrica fluxui favent. Illis quoque aliud argumentum eſt, nutrices lactantes menſtrua non pati, et, ſi quando ſupprimantur menſes aliis de cauſis, tum haemorrhagias vicarias ſequi.

Quod

* Vid. Friend. Emmen. paſſim. Aphor. Boerh. Manning, &c.

Quod huic theoriae objiciendum nunc inquirere pergam. Puellis quae acmen nondum attigerint ſaepe menſes accedunt, cum, ut illi volunt, nihil ſupervacui ſanguinis corpori inſit. Copia ſanguinis effluentis non ſemper pro corporis plenitudine effunditur; mulieres enim cachecticae, habitu corporis phthiſico, quibus longe abeſt ut putes plethoram ineſſe poſſe, ſingulis menſibus, ſolito more, ſanguinem utero effundere, et ſaepe copia majori, quam ſanae et robuſtae inveniuntur. Si ſanguinis in corpore, poſtquam ad acmen pervenerit, copia ſupervacua, fluxui menſtruo cauſae eſſet, cur non, eodem tempore, ex ſyſtemate venae portarum, tum ob ſitum, cum ob fabricam, tali effuſioni omnibus modis opportuno, ſanguis effuit? Faeminae laxo habitu et ſub coelo calido degentes, quibus liberior perſpiratio eſt, quam hae quibus rigidiores ſunt fibrae, vel quibus, ex frigore, cutis perſpiratio ſupprimitur, copioſius plerumque menſes effundunt. Sanguinis copiam ſuperfluam, ad foetum alendum confici, Friendius contendit: Calculiſque ſubductis, uncias viginti ſingulis vicibus eliminari, omnemque effuſum utero ſanguinem, ut foetus aletur neceſſarium eſſe ponit *. Quum tamen conſtet effuſum ſanguinem, ſingulis vicibus, quinque vel ſex uncias non ſuperare †, totam copiam foetui alendo non ſufficere liquet: Adeo ut vel, ſecundum ſuam hypotheſin, ipſius ratio utut ſolers ſubtiliſque cadat illuſa, neceſſe eſt. Nutricibus lactantibus menſes ſemper abeſſe ſaepius dictum fuit, quia hoc modo a plenitudine cavetur. Credo equidem multas eſſe mulieres ubera admoventes, quibus menſes ſolito more adſunt, et quibuſdam nunquam

* Vid. Emmen. Friendii.

† De Haen, Young, &c.

nunquam alias tam proprio ritu accedere dicuntur *. Praeterea magnam lactis copiam, etiam dum lochia fluunt, secerni, norunt omnes; id quod huic theoriae omnino obstat. Si haemorrhagiae quae, nonnunquam post menses suppressos, ventriculo, oculis, auribus, digitorum extremis, &c. fluunt, a nimia totius vasorum systematis plenitudine penderent, cur non pulmonum vel aliarum internarum partium vasa, saepius multo rumpantur †? vel cur, tales haemorrhagiae venaesectione non caventur? Magnae insuper evacuationes per intervalla mensium, illorum refluxum non arcent; imo, etsi copia, menstruo sanguine triplo major, detrahatur, statim ante fluxus accessum, erumpunt menses tamen ‡; et nulla evacuatio, arte parata, symptomata quae primum fluxum praegrediuntur, prohibere potest, quamvis a plethora generali derivari ponantur.

Generalem plethoram, quam primus Simpson eruditus impugnabat, partialis plethorae, vel congestionis topicae, doctrina excepit. Huic opinioni Van Swieten assentire, nec multum dissentire illust. Hallerus, licet utriusque plethorae sententiae favere magis videatur §. Tempore ex illo, plethora topica licet non confirmata, verisimilior facta fuit, ob ea quae reperit illustr. Cl. Winteringham. Ducem hunc itineris secutus Professor noster egregius Cullenus, novam protulit sententiam, quam, plurima qua pollet doctrina et ingenio, stabilire conatus est. Hanc breviter narraturus sum. Teste Winteringham, venis, in tenera aetate, magis quam sociis arteriis tunicae

* Vid. Halleri Elem. Physiol. tom. 7.

† Vid. Whytt. opera, pag. 564.—565.

‡ Simson cel. System of the Womb.

§ Vid. Halleri Elem. Phys. tom. 7.

nicae ſunt denſae: Ob reſiſtentes igitur venas, liber ſanguinis ex arteriis in venas fluxus impeditur, et arteriae magis diſtenduntur, quam ſi nihil tale adeſſet. A principio ergo vitae ad mediam uſque aetatem, arteriarum plethora locum habet; ſed ope diſtentionis perpetuae et preſſurae a ſanguinis impetu, quibus arteriae laborant, earum denſitas cordis vi tandem par evadit. Ab hoc ſtatu plethorico, corporis incrementum et evolutio pendent, quod pro vi et impetu ſanguinis, in quamlibet partem, pro ſolidorum renixu, et ſyſtematis vaſorum diverſarum partium amplitudine, creſcet. Cernere eſt igitur caput primum evolvi, qua in parte corporis ampliſſima ſunt vaſa, quaeque igitur eo primum denſitatis perveniunt, ut ſanguinis impetui reſiſtant. Tota demum aſcendente aorta evoluta, ſanguis majore impetu per aortam deſcendentem verſus uterum propellitur. Uterus autem, renixu nacto, immutatus maneret, ni ſanguis, in vaſa uterina congeſtus, illi ſtimulus eſſet, hinc niſus haemorrhagicus augetur, et vaſorum oribus apertis, ſanguis utero ſtillat *.

Haec autem ratio ad menſium primorum cauſam reddendam, primo intuitu pulcherrima quidem, minus idonea videtur; et, ei quaedam ſunt objicienda, quae, ſi theoriam omnino funditus non everterent, eam tamen labefactare poſſint, viz.

Menſes ſaepe erumpere ante aetatem qua puellae acmen attigerint; ſub primis enim menſibus, ſubitum corporis incrementum ſaepe obſervatur, quod interdum per biennium, uſque et uſque creſcit, dum interea, proprio ritu et juſta copia, menſes fluunt.

Licet haec ratio fluxus menſtrui minus placet, haudquaquam negaverim, ſanguinis in uterino ſyſtemate congeſtionem illo tempore fieri; ſed, ut mihi videtur, alia ratio reddi poteſt.

Quos

* Cull. illuſt. Praelect.

Quos effectus, in totum utriusque sexus corpus, status genitalium edat, neminem latet. In viris non solum vis et vigor, sed et vox quoque et barba a tensione et tono genitalium plurimum pendent. Ante puberem aetatem castrati, semper imberbes sunt, voxque arguta et stridula, nunquam rauca vel gravis auditur *. Mulieres ex sectis ovariis non solum steriles fiunt, sed quae antea rotundae turgebant mammae flaccidae collabuntur, et paulatim fere evanescunt, adeo ut eunuchis simillimae sunt; et quemadmodum masculorum testes, semen ad gignendam prolem, quo gens humana semper floreat, secernunt, sic apud mulieres quidam status ovariorum necessarius videtur †, tum ad mensium fluxum cum ad generationem. Quis vero ille status sit, vel quae causae illum efficiant, nobis parum constat ‡. Verisimile est tamen, ovariis tunc temporis insolitam esse irritabilitatem, quae arteriarum uteri fibris muscularibus hinc communicata, easque consuetis stimulis magis obnoxias reddit, et si fibrae (sic enim dicitur) quo longius a corde, eo irritabiliores fiant ||, irritabilitatem in utero permagnam esse oportet.

A

* Vid. Buff. Nat. Hist.

† Vid. Cul. Prim. Lin.

‡ Eam esse genitalium conditionem, hac tempestate, quibusdam placet [a], ut quidam animi affectus, (e. g. appetitus lascivi, veneris desiderium) fluxum sanguinis solito majorem, versus has partes faciant. Et quum iisdem videtur uterum esse organum secernens, menstrui sanguinis majorem quoque copiam secerni, quo plus derivati sanguinis, eo plus secreti esse. Hinc menstruorum copiam in aliis faeminis, aliam explicare conantur, et quo lascivior fit faemina, eo majorem fluxum, ponunt.

[a] Elem. Medic.

|| Cul. illust. Institut.

A ſtimulante ſanguine augetur vaſorum actio, et inde ſanguis pleniore rivo influit, et majore etiam ſtimulo addito, niſu crebriore vaſa ſe contrahunt, et ora extrema dilatantur. Primo patefacta vaſculorum orificia, tenuiſſimam et aquoſam ſanguinis partem ſolam elabi ſinunt, (hinc ſeroſa primorum menſium facies) mox autem, perſtante ipſorum actione adauctum rubrum ſanguinem effundunt. Poſtquam effuſo ſanguine, arteriae aliquatenus deplentur, collapſae, primo globulis rubris, deinde ſero, iter negant. Poſt dies duos vel tres fluxus ſiſtit, vaſaque in cavum uteri patula, quod prius tranſmiſerant, id tantum accipiunt.

Ab Hippocrate ad hodiernum uſque tempus, vanum laborem phyſiologi ſunt impenſi, aſſidue excogitando, cur conſtitutis temporibus menſes reverſuri ſint. Nullam igitur rationem proferre mihi licet, niſi conjicere fas ſit, irritabilitatem iterum certo tempore accedere, iterumque hinc, ſanguinis congeſtione facta (favet autem congeſtioni ſtatus uterinorum vaſorum ex priore depletione laxus *) menſes, ut ante, eliminari. Nonne appetitus veneris periodici, quos in aliis animalibus videri eſt, aliqua ſaltem ex parte, irritabilitatem hanc in genere humano, illuſtrent? Cuniculis ſingulis menſibus venus redit, ſimulque fluidi aliquid ex vagina ſtillat; quod quoque aliarum ſpecierum faeminis ad venerem prurientibus accidit †. Poſt menſium repetitum recurſum, vaſis aſſuefactis, adaucta actio, conſueto tempore, uſu veniet. Imperii exempla, quod in corpus humanum, conſuetudo exercet, magna copia

* Cul. cel. Praelect.

† Generi humano fluxum menſtruum eſſe proprium fere ſemper dixerunt auctores. Ait Plinius, "ſolum animal menſtruale mulier." Nunc autem pro certo affirmatur, ſimiam menſtrua regulariter pati.

copia nobis memorandi, vix tamen memoraſſe neceſſe videtur; ſatiſque erit dixiſſe, in excretiones praeſertim exerceri.

Multa inepta, credula ſuperſtitione, male nata, de menſtrui fluxus natura, olim relata ſunt, et fabuloſa narrantur † plurima, de mulieribus quae fluentibus menſibus, res miras praeſtarent; quarum vel meminiſſe a nobis longe abſit. Inter phyſiologos tamen hodiernos de natura effuſi fluidi nequaquam convenit; quibuſdam nuper affirmantibus, illud puri ſanguinis dotibus non gaudere ‡. Verum, donec pluribus inſtitutis periculis, diverſa confirmata ſit ſententia, lubentius ſecutus Hippocratem, Hallerum, Van Swieten, Monro, &c. crederem, fluidum menſtruum, arteriis uteri effuſum, a communi ſanguinis indole nihil diſcrepare.

De uſu menſium nihil fere melius, quam de cauſa, inter auctores convenit. Veteres, et e recentioribus plurimi, ad foetum alendum inſerviri menſes, contendunt: Huic tamen ſententiae eſt quod objicias, et quibuſdam phyſiologis, qui eam refellere nuper conati ſunt, placuit magis, illorum ope vaſa uteri exhalantia ne clauderentur, prohiberi, ut poſt conceptum, ovulum internae uteri ſuperficiei arctius adnectatur, et inter matrem et foetum liberior ſit communicatio §. Hic vero conjectura ſola auguramur. Liceatque cum Poeta canere,

" ——Who their *uſes* can declare? Who pierce,
" With viſion pure, into theſe ſecret ſtores
" Of health, and life, and joy?" *Thompſ. Seaſons.*

Poſtquam

† Vid. Van Swieten Comment. &c.

‡ Hunter.

§ Vid. Marther. Phyſiol.

Postquam menses aliquamdiu rite effluxerint, interdum abnormes fiunt, saepe copia deficiente, nunc omnino sistente fluxu, nunc nimio rivo effuso. Cuncta tamque diversa, quibus patet fluxus menstruus, incommoda dum olim tractaturus, mecum reputabam, strinxerunt animum, tum rei magnitudo, tum quoque quod tempus experientiaque desint, et jam in longum opus fuerit prolatum; quapropter, de posteriori tantum differendum; huic nosologi menorrhagiam nomen imposuere. Qui, quoniam frequens est morbus, magnamque vim formae pulchrae, felicique valetudini, amabilis sexus infert, jure sibi medicorum attentionem vindicat.

A Clariss. Culleno sic definitur:

" Dorsi, lumborum, ventris parturientium instar dolores, " menstruorum copiosior, vel sanguinis e vagina praeter ordi- " nem fluxus *."

HISTORIA MORBI.

Fluxus menstruus pro morbo habendus est, quando vel frequentius recurrit, vel diutius perstiterit, vel quando denique sanguis fuerit praeter ordinem effusus, et quotiescunque a naturae viis, ita sit aberratum, ingens instat malorum cohors. Molesta quaedam symptomata, naturales menses, praesertim sub primo fluxu, comitari, sistente vero effusione, eva-

 nescere

* Cel. Cull. Nosolog. Methodic.

nescere omnia, supra diximus. Cum sanguis nimis effunditur, omnino aliter se res habet. Omnia quae comitantur symptomata ingravescunt; dolores violentiores evadunt, siti simul et dyspnoea, pulsu frequenti, interdum duro, cephalalgia gravi, omnibusque pyrexiae auctae symptomatis, urgentibus. Interdum tamen menorrhagia accidit absque ullis manifestis signis diatheseos phlogisticae, ubi ab initio, sanguis patulis vasorum uteri oribus laxis, potius quam violentia renixus, elabi videtur. Magna totius corporis debilitas, praesertim functionum animalium, in utroque casu, si nondum accesserit, mox subsequitur. Perstante morbo, crescit debilitas: Cujus signa sunt; languor et lassitudo ingens, motus corporis intolerantia, animus demissus, &c. Mens imbecilla, levibus de causis, violenter agitatur. Cibi appetentia cito imminuta, ventriculus, nausea, aliquando vomitu tentatur; intestina multum turbantur, et aegra flatu, dolore colico, et dura alva frequenter laborat. Inquietus est somnus, nec corpus reficit. Pulsus fit parvus, debilis, nonnunquam tardus *; pallida et decolor facies, et aegra tandem mire confecta est. Extrema corporis inalgescunt, pedes et crura tument, et crescenti usque morbo, oedema in hydropem universum definit. Syncope quovis animi motu, vel aegra se erectam, breve tempus, sustinente, facile inducitur. Interdum sanguis intra cavum uteri retentus coagula, duriuscula cogit, quae tenerrimum viscus irritantia, illi contractiones spasmodicos inferunt, et propter uteri, cum reliquo corpore, latum consensum, totius corporis convulsiones non raro sequuntur. Maenorrhagiam saepe excipit leucorrhoea, praesertim, secundum Hoffmannum, apud puellas,

* Astrue.

ellas, ſaepiuſque cauſa ſterilitatis fit, partium genitalium tono perdito. Pluribus jam memoratis ſymptomatis, ſimul concurrentibus, vel ſe invicem excipientibus, tandem atrophia et febris hectica invadunt, quae infelici aegrae mortem, finem miſeriarum, affert.

Talis plerumque eſt curſus et talis finis morbi, cum diu perſtiterit; ſed pauca exempla ſunt narrata, ubi tam ſubito et tanta praeter ordinem copia ſanguinis effluxerat, ut ruentibus in pejus omnibus, aegra e vivis rapta eſt, priuſquam opem ferre potuiſſet medicus *.

DIAGNOSIS.

In diagnoſi facienda inter menorrhagiam et menſtrua naturalia, quid diſcriminis interſit, imprimis reſpiciendum eſt; hic enim ſolum dubitandi locus eſt. Menſtruorum copia, non ſolum aliis mulieribus ſub alio coelo degentibus, alia eſt, ſed et eidem mulieri diverſis temporibus, diverſa; praeſertim poſt abortum, ſuppreſſiones fortuitas, et ſub fluxus finem † Et, quamvis ſupra memoravimus conſuetam fluxus periodum viginti octo dierum ſpatio abſolvi, et compertum eſſe, copiam ſanguinis effuſi ſex uncias vix ſuperare, multa tamen exempla ab hac lege generali impune recedunt; nec fas eſt dixiſſe, mulierem menorrhagia laborare, quia menſes duabus vel tribus

* Manning on Female Diſeaſes.

† Johnſton's Midwifery.

bus ſeptimanis revertantur, vel quia uſitato tempore, paucae ſolito plures unciae effluant, dum interea ſecunda ſit valetudo; quod enim aliis mulieribus ad naturae et ſanitatis normam ſit, in aliis pro morbo habendum.

De tempore igitur et copia nihil pro certo ponere licet; reſpiciendi ſunt igitur et corporis habitus et indoles, moreſque mulieris, et hinc judicium eſt ferendum. Si catamenia diutius et copioſius perſtiterint, comitante acerbo dolore, magnaque debilitate, anorexia, dyſpepſia, et facie pallida ſubſequentibus, tunc morbum adeſſe liquet, cui omnino obviam eundum.

CAUSÆ REMOTÆ.

Cauſas remotas dividere licet,

1*mo*, In illas quae vim vaſorum ſanguiferorum omnium, et idcirco uterinorum, augendo nocent.

2*do*, Quae impetum vaſorum uteri praecipue augent; et

3*tio*, Quae aliquatenus eadem vaſa laxant.

Sub 1*mo* capite comprehenduntur, 1. Cibus nimis nutriens, tum quod ad copiam, cum quod ad indolem alimenti. 2. Ingeſta plus quam excreta. 3. Evacuationes ſolitae ſuppreſſae. 4. Vita ſedentaria.

Fatendum eſt tamen, cauſas iſtas non tantum ad inferendum morbum eſſe efficaces, quantum, ſi aliunde ortus fuerit, ad vim ejus adaugendam.

Quae

Quae ſub hoc primo quoque capite includuntur, et excitantes cauſae dicendae ſunt: 1. Vomitiones violentae. 2. Ebrietas frequens. 3. Pathemata animum excitantia. 4. Magnus calor ſubito admotus.

Ad caput ſecundum referri poſſunt,

1. Venus nimia, praeſertim ſub menſium fluxu. 2. Pars imi abdominis violenter percuſſa. 3. Nimium exercitatio, praeſertim inter ſaltandum. 4. Faeces gravi niſu demiſſae. 5. Cathartica acria, praecipue aloetica, quae rectum imprimis, parteſque inteſtinorum utero vicinas ſtimulant. 6. Cantharides. 7. Frigus ſubito pedibus admotum. 8. Mala uteri topica, *e. g.* cancer, ſchirrus, polypi, &c.

Sub tertio capite includi poſſunt,

1. Cubicula calidiora. 2. Theae, cafeae, et potus hujuſmodi diluentis, uſus abnormis. 3. Balneum tepidum. 4. Cibus tenuis et parcus. 5. Evacuationes magnae, ſeu ſanguinis, vel urinae, vel ſudoris. 6. Leucorrhoea. 7. Abortus frequens. 8. Partus difficiles. 9. Puerperium frequens; et 10. Animus demiſſus.

Sub finem fluxus menſtrui, ingraveſcente aetate, mulieres ad menorrhagiam maxime proclives ſunt; et aliquando fieri poteſt, ut ex primigenia uteri fabrica, morbus originem trahat.

CAUSA PROXIMA.

Cauſis menorrhagiae remotis omnibus ante oculos poſitis, perpenſoque, quod fere ſemper mulieribus, vel vitam ignave degentibus,

degentibus, vel aliunde debilitatis, accidat, et quod molles Zonae Torridae incolae, ei magis patent; dum, e contrario, robuſtae, et quae frigidas regiones tenent mulieres, rarius plectuntur; colligere licet, diatheſin phlogiſticam, vel nimias totius corporis vires, perraro morbo pro cauſa eſſe. Si enim ea fuerit in culpa, mulieres viribus et ſanitate gaudentes, ſaepius laborantes cernere erit. Sed longe aliter ſe res habet.

Lubentius crederem, 1*mo*, Ab agentibus cauſis remotis, irritabiliora fiunt vaſa uterina, et a ſanguine facilius ſtimulantur; aucto inde motu oſcillatorio, majori ad ea copia ſanguis allicitur, et naſcitur menorrhagia. Adaucta vaſorum uteri actio, aliquando per totum corpus diffunditur; ſed, facta haemorrhagia, plerumque ſublata abit, et vaſis a diuturno morbo langueſcentibus, effluenti ſanguini ſola favet debilitas.

2*do*, Solutis praeter naturam vaſis, vel totius corporis, vel imprimis uteri, etiam ſi impetus nullominus augeretur, morbum naſci poſſe mihi videtur *.

PROGNOSIS.

Prognoſin jure auguraturum imprimis excogitare decet, quae ſint aegrae vires; ſi morbus diutius fuerit moratus; et frequentia et copia effuſi ſanguinis, cauſaeque remotae. Si antea, bona valetudine uſa eſſet, nec multum debilitatis nunc inſtet, ſi recens acceſſerit morbus, licet plerumque fauſtum exitum ſperare. Sin ſaepius ante acceſſerit, ſi aegrae vires fractae, magnaque ſanguinis effuſi copia ſit; morbus in anci-

piti

* Cull. Prim. Lin.

piti haesurus est. In pari sanguinis effusi copia, eo fluxus periculosior, quo citius effluit. Cujus rei ratio in aperto est; sanguine enim tarde et gradatim effuso, novo sanguini parando, quo vires reficiantur, spatium datur; subito autem et magna vi sanguine effuso, nihil spatii conceditur. Menorrhagia, primigenia uteri fabrica, vel cancro, polypo, schirro, &c. originem trahente, immedicabilis plerumque est; sed fortuita causa, quam amovere nobis in manu est, nata, meliori spei locum praebet.

RATIO MEDENDI.

Menorrhagiae medentem oportet, 1*mo*, Dare operam, ut cohibeatur fluxus; 2*do*, Ut recursus praecaveatur.

Inter initia morbi, actione vasorum uteri tunc temporis aucta, et reliquis totius corporis vasis impertita, ea cuncta fugienda sunt, quae vel corpus vel animum excitant. Musculorum motus quicunque, stimulo est; venosi sanguinis enim cursum accelerando, vasisque ubique tensionem impertiendo, ut saepius et violentius se contrahat cor facit; unde sanguinis copia solito majore, per varias corporis partes, eaque de causa, per uterum, fluente, uterina vasa ad vehementes contractiones cientur, longeque copiosior fluxus fit. In exercendo corpore, quo plures musculi agunt, eo perniciosius est. Detrimento est ambulare; et, licet stanti minus imminet periculum, tamen, per aortam descendentem sanguinis momento aucto, fluxus augetur.

Ut

Ut aegra horizontali ſitu accumbat, curandum eſt; et quia caloris ſtimulus, ſanguinis curſum accelerat, pro molli lecto, ſuper matta duriori ſit ſtrata, levibus ſtragulis operta; amplum decet eſſe cubiculum, cui aëris frigidi liber eſt perflatus.

Nocet loqui, muſculos reſpirationi inſervientes agitando, velocitatemque ſanguinis per pulmones et cor accelerando, vigiliamque inducendo. Animi cogitatio, vel mente vel rebus externis nata, corpori ſtimulo eſt; et quoniam, quaecunque in animum agunt, ea cuncta primo impetu excitant, quantum fieri poteſt, quietam haberi aegram oportet.

In omni haemorrhagia activa (et de hujus curatione nunc loquimur), victu uti tenui, ut ſic plethorae obviam iretur, medicis placuit; et, quamvis negavimus generalem plethoram ad menorrhagiam faciendam neceſſariam eſſe, fatendum tamen, jam praeſenti, plethoram favere. Alimenta minime calefacientia eligenda ſunt; quapropter vegetabilia farinacea bona, malae autem et fugiendae carnes. Abſint procul liquores ſpirituoſi fermentati, quorum loco, potus diluti et frigidi, vel acido vitriolico, vel aceto ad gratum ſaporem infuſo, aſſumantur; et hinc quoque ſiti irritanti conſulitur. Cavendum eſt inſuper, ope medicamentorum quae alvum leniter ducant, ſcilicet cryſtallorum tartari, ol. ricini, ſulphuris florum, &c. ne faeces canalem alimentarium irritent; et faeces induratae emollientibus enematis injectis ſunt dijiciendae. Si perſpiratio ſuppreſſa fuerit, optima auxilia ſunt diaphoretica, quorum nihil praeſtat ipecacuanhae, parvis doſibus, ut nauſea excitetur, exhibitae.

Ad ſanguinis impetum imminuendum ſunt qui ſuadent *frigus* corporis ſuperficiei admovendum *; eodemque conſilio aquam

* Vid. Hoffmanni opera, &c.

aquam frigidam magna copia libere ſeorſum, vel nitro vel ſpiritu vitrioli miſto, Hoffmannus hortatur. Hic vero de frigoris natura varias opiniones, vel quomodo effectus ſuos in corpora animantium edat, excutere, alienum videtur. Conſtat inter omnes, frigus infra gradum ſcalae Fahrenheitianae ſexageſimum ſecundum diu admotum, debilitatem inferre.

Veteres plerique et e recentioribus multi *venaeſectionem* in haemorrhagiis utilem putavere; aliis autem ſanguinem ipſo morbo effuſum, quicquid venaeſectio praeſtare poſſit, praeſtiturum viſum eſt *. Sub initiis menorrhagiae, cum copioſior fluxus, et phlogiſtica ſigna ſeſe oſtendunt, ſanguinem, nec ſine fructu, mitti credit ill. Cullenus; quod tamen rarius neceſſarium eſſe putat. Ubi vaſorum uteri aucta actio reliquo corpori impertitur, ad diatheſin phlogiſticam tollendam, venaeſectio haud dubie confert; haemorrhagiam tamen nec cohibet, nec etiam ſemper minuit, et ſaepius celebrata debilitatem alias ſubſecuturam adauget. Praeterea, ſic aegra morbo recidivo opportunior facta, levibus cauſis excitantibus iterum menorrhagia tentabitur, et in periculum hydropis, vel alius debilitantis morbi veniet. Metuendum igitur ne ſanguis nimis detractus vires corporis exhauriat. Ut venaeſectio, ſanguinis et fluidorum circulantium parte ablata, eorum ſtimulum quod ad quantitatem imminuit, ſic frigus a caloris ſtimulo abſtrahit: Hunc vero, ſi opus ſit, haud difficile reſtituas, illum neutiquam poſſis. Quandocunque igitur videatur minutas vires profuturas, ante periculum venaeſectionis factum quid frigus poſſit, experiendum.

* Doctor Heberden in Med. Tranſact.

Ad nimiam vim vaforum uteri moderandam, nunc praefertim convertendum eft. Ad quam rem efficiendam, praeter jam memorata, alia quoque attentione digna funt. Si auctus vaforum impetus cum reliquo corpore non communicatus fuerit, venaefectio minus erit neceffaria, et victu non ftimulante quidem, fed magis nutriente uti liceat. Tranquillitatem animi fupra fuafimus, et aegra iterum monenda eft, ut ab affectibus animi caveatur, praefertim ab amore, cui non fine magno periculo indulgebit. Quis enim nefciat miros affectus, quos venus venerifque defideria in organa genitalia praeftent? Coitus vis in amenorrhoea, ubi retentio a vaforum torpore pendet, arteriarum uteri actionem ftimulans, quantum polleat, nobis clare oftendit, eodemque tempore, menorrhagia, vaforum impetu jam nimio, laborantes ab illo abftinere monet.

Pediluvium frigidum huic morbo profuturum, quibufdam videtur; ut enim pediluvium calidum aliquando menfes obftructos eliciat, ita frigidum, contrarium effectum editurum creditum eft. Quod aliquando fieri poffe concedimus; fatendum tamen, analogiam, aliamque ratiocinationem, in medicina faepe fallere. Inter caufas menorrhagiam moventes, frigus pedibus admodum narratur, et diutius adhibitum, colicam, enteritidem, aliafque turbas movet inteftinorum, quibus cum utero confenfus eft plurimus.

Extrema *fricare*, ut eorum augeretur actio, et inde derivatio ex utero fieret, olim confuevere; fic autem fanguinis per totum corpus motum acceleratum iri manifeftum eft; potiufque vetare quam frictione uti debemus.

In haemorrhagiis, quibufdam partibus *vincula* injicere, ut venofi fanguinis ad corda reditus impediretur, veteribus mos erat; eo confilio, ut fanguinis minore copia influente, et foliti

ftimuli

ſtimuli parte ablata, non tam largum flumen e corde exſiliret. Sed poſt circulationem ſanguinis melius exploratam, nihil tale fiebat. Eſto enim, venas poſſe comprimi, liberis arteriis relictis, cuivis tamen liquet, ſanguinem, clauſo aliquamdiu per venas itinere, in arteriis neceſſe congeſtum iri; et illud idem quod tollere cupimus, potius illatum iri.

Cucurbitulas mammis imponendi, ad ſanguinem ab utero derivandum, mos ab Hippocrate traditus eſt, et de iis in ſcriptis ſuis honorifice differit. Profeſſorque noſter ingenioſus Homius, apud experimenta clinica, duarum mulierum hiſtorias narrat, ubi felici exitu cucurbitulae cum ferro mammis admotae fuerant. Eodem conſilio aegram, per ſemihoram, aqua calida, cui paululum vini addetur, manus et brachia immergere jubet Hoffmannus illuſt. et hoc felicius eventurum affirmat. Hic quoque memorare licet, *ubera admota* ſaepe prodeſſe, ut egregie in praelectionibus ſuis monet Cullenus; licet prolis parum memores, ſaepius voluptates et ſplendida vitae inania, matris officio et dulcibus curis anteponunt.

Ad efficaciora remedia nunc ventum eſt; de quibus ordine: Et primo de Emeticis.

Emetica, in haemorrhagiis medendis, mira laude et felici ſucceſſu a pluribus adhibita jactantur, et inter primos a Doctore Bryan Robinſon, medico Dublinienſi ingenioſo, cujus in experimentis capiendis ſolertia merito laudatur *. Aliquando utilia quoque Cullenus invenit; inter quem et Doctorem Robinſon convenit de effectibus, ſed diverſis modis effectus explicant. Doctori Robinſon placet, inter nauſeam, quae vomitum praegreditur, conſtrictas eſſe arterias, quia tum

* Vid. Robinſon on Operation of Medicines.

tum cordis vim imminutam obſervaverat. Sed certe, ut fatetur ipſe, peracto vomitu, circulatio citatior mox ſubſequitur. Mihi ergo potior videtur ſententia illuſt. Culleni, ponentis, illorum ope, vaſorum actionem extremorum augeri, ſpaſmum auferri, et verſus ſuperficiem fluida propelli; et ita, ſi quid mali ex ſuppreſſa perſpiratione utero acciderit, illud tolli. Igitur mihi melius videtur parvis doſibus nauſeam excitare, quam plenum vomitum ciere; praeterquam enim quod vomitus quatiat corpus, ſaepe repetitus ventriculum magnopere debilitet. Si tamen aegra, ex re aliqua in ventriculo irritante, nauſea et aegritudine tentetur, ea res ope emetici optime ejicitur, et ob ſummum qui ventriculum inter et uterum eſt conſenſum, raro accidat ut, laborante ventriculo, uterus in partem doloris non venturus ſit.

Emplaſtra veſicatoria haemorrhagiis magnopere prodeſſe, quidam ſcriptores et, mea ſententia, jure crediderunt. Sunt tamen qui ea omnino adhiberi nolunt, quippe qui vim eorum ſtimulatricem timent: Vero, eſto illa ſtimulare, aliis tamen dotibus gaudent, quae ſtimuli metum ſolvunt; et quum in pneumonia, aliiſque morbis inflammatoriis, eorum ab experientia conſtat utilitas, conjicere liceat, et hic et illic vim antiſpaſmodicam ineſſe; unde ſpaſmum, quo fluidorum impetus augetur, tollant *. Cum tamen patet in omnibus morbis localibus, ea praeſertim et fere ſola utilia eſſe, cum prope partem dolentem admoveantur, metuendum eſt, ne aliquando, abſorptis cantharidibus, in menorrhagia, ſtranguriam ciendo, noceant.

In

* Vid. cel. Cull. Prim. Lin. paſſim.

In hoc morbo ſanando, laudatur, et merito credo, *opium*; interdum inter remedia quae, prae caeteris, vaſorum uteri vires imminuere creduntur, enumeratum. Et haud dubie fluxu qualibet ab irritatione orto, irritabilitatem minuendo, pro tempore ſaltem levatur malum, tempuſque conceditur naturae, ad vires ſuas exercendas; vel medico, ad alia remedia tentanda. Inveſtigare opii naturam, num ſedante num ſtimulante vi, numve utraque gaudeat, vix neceſſarium eſt. Nobis ex hiſtoriis a quibuſdam ſcriptoribus traditis, imprimis indicatum videtur in menorrhagia, ubi ex diurno morbo debilitas oritur, vel quando ab initio debilitas et demiſſus animus eam comitabantur *. In eo tamen adhibendo multa cura, multaque ſolertia opus eſt.

Proximum eſt ut vaſa uterina conſtringere, debilitatemque, ſive morbi primaria cauſa ſit, ſive exinde orta fuiſſet, tollere operam navemus. Quod aſtringentium et ſtimulantium ope optime fit. Aſtringentia externe adhibeantur, vel interne aſſumantur. E varia materie parata *emplaſtra*, pubique admota, Hoffmannus aliique laudant; ſed haec, frigidis *pannis*, pura aqua, vel mixto pauxillo aceti, vel in ea ſoluto alumine, madefactis, totique pelvi circumdatis, et ſaepe ne calefiant mutatis, minus efficacia videntur. *Balneum frigidum* generale et topicum in hoc morbi ſtadio feliciter uſurpatum dicitur. *Linteola* aceto, vel ſalis martis in aqua ſolutione madentia, vaginae immiſſa, ſaepe haemorrhagiam ſiſtunt. Sed reliquis, frigida *injecta* palmam praeripiunt. Difficillime vero in uterum, etiam earum quae pepererunt injeceris; ſed injecta vaginae haud raro aegrae levamen ferunt, veriſimileque

* Vid. Young on Opium. Manning, &c.

leque videtur, conſtrictione vaginae ex frigidis injectis, cum utero communicata, tonum vaſis uterinis impertiri. Ad hoc propoſitum pura frigida, vel in qua pauxillum aluminis ſolutum eſt, aqua, prae praeparatis plumbi mihi placent.

Ferri et Saturni praeparata, pro aſtringentibus internis, ſaepe adhibentur; quorum, illis, parvam vim aſtringentem ineſſe crediderim, his, majorem quidem, et haemorrhagias ſanaſſe dicuntur; ſed vel parva copia aſſumpta nocent, et egregia documenta extant malorum, quae plurima horum uſus intulit; eamque ob rem, mihi potius videtur, his penitus abſtinuiſſe. *Alumen*, optimum aſtringens remedium, adhiberi tuto poteſt. Ex regno vegetabili, olim terra Japonica, hodie gummi kino, praeſertim in auxilium venit; ſed utrumque remedium efficacius eſt cum alumine junctum, cujus vis aſtringens major et citius multo per corpus diffunditur. Cum ventriculus irritabilitate tentatur, pulveri ſtyptico paucas liquidi laudani guttas, inſtillare monet Dr Manning, quod ipſe ſaepe feliciter fecit.

Aliquando eveniat, ut adſtringentia parum proſint, et tunc fauſto exitu ſtimulantia adhibentur. Tale exemplum mihi ipſi contigit vidiſſe. Proxima hieme in Noſocomio decumbebat aegra, cujus curandae partes ſuſceperat Profeſſor noſter ill. Gregory. Remediis ſolitis fruſtra adhibitis, *tinctura cantharidum* morbum ſolvit. Hujus medicamenti modus operandi ita explicandus. Cantharides organa urinaria prae caeteris omnibus afficere, illiſque acri ſtimulo eſſe, neminem latet; quum vero inter uterum et veſicam magnus conſenſus intercedat, hujus adaucta actio ad illum communicatur; tollitur hinc arteriarum uteri debilitas, et novis viribus acquiſitis ora conſtringuntur *.

Ex

* Vid. Cul. Prim. Lin. in capite de Leucorrhoea.

Ex iisdem principiis verisimilius videtur, *balsama* quaedam huic morbo profutura; eademque ratione balsami copaibae, terebinthini, &c. usus, et modum operandi in leucorrhoea explicare est.

Si mihi conjicere liceat, in menorrhagia magna debilitate et laxitate vasorum stipata, *electricitatem* maxime profuturam dixissem. Humoris ex urethra, post gonorrhoeam, fluxum sanasse fertur *, ubi laxitas vasorum in culpa fuit.

Placuit quibusdam, *venerem* modice cultam, utilem esse †; et fortasse, in hoc morbi stadio, pro stimulo uti licet.

Remediis topicis utentes, minime nos generalia praeterire decet. Corpore nunc debilitato, vires novae parandae sunt, vanum alioquin laborem impendimus. Huic consilio maxime accommodantur remedia tonica nuncupata, vel interne vel externe adhibita. Inter illa longe eminent Cortex Peruvianus et praeparata ferri.

Cortex caeteris merito palmam praeripit. In ventriculum assumptus, cito tonici ejus effectus percipiuntur, diuque manent; eaque de causa praestantissimum remedium in menorrhagia invenitur. Vel pulvere vel tinctura exhibeatur; haec elegantior, illa vero efficacior, et plerumque anteponitur. Paucis laudani guttis adjectis, ventriculo melius convenit ‡.

Metallorum omnium utilissimum et efficacissimum est *ferrum*. Varia sunt ejus praeparata, caeteris vero anteponenda sal martis, rubigo, et limatura ferri.

Cibum

* Vid. Schwediaeur.

† Vid. Elementa Medicinae.

‡ Manning.

Cibum esse nutrientem oportet, saepius de die sed modice sumptum, quo facilius concoquatur; nec gravetur ventriculus. *Vinum* quoque, copia haud immodica, bibendum, vel Lusitanicum vel Madeirense, utrumque bonum, sed illud melius; liquor ille amarus (Anglice *London Porter*) fortis, lupulis bene conditus, pluribus optime sedet, et nihil prohibet quo minus propinetur.

Inter haec (externa scilicet) exercitatio balneumque frigidum, juste laudibus cumulantur.

Exercitatio firmat corpus; solidis simplicibus, et inde toti systemati vires, ministrat; fluida versus superficiem propellendo, congestus ab utero tollit, et roborando ventriculum, appetentiam et cibi concoctionem promovet. Caute vero adhibendam et modicam esse decet; aliter enim omnia in pejora ruunt. Monet clarus Hamilton *, fluxum interdum minui, interdum omnino sisti, equitatione leni in curriculo.

Quod exercitium, idem *balneum frigidum* efficit. Ab eo vero abstinendum, si vires maxime deficiunt; his enim fractis, non prodit, sed magnopere nocet. Melius forte incipias ab aqua tepidula, aucto gradatim frigore. In balneo ne diu maneat aegra, et egressam bene fricari oportet.

Nunc tantum supereſt, ut de iis, quae morbo recidivo caveant, agamus. Hic brevis esse cogor; sic enim temporis angustiae aliaque necesse jubent.

Causae

* Outlines of Midwifery.

Caufae excitantes, quantum fieri poteft, evitandae; et omnia quae corpus debilitant, idque morbo proclivius reddunt, fedule effugienda.

Exercitatio fub dio, et equitando et ambulando pro viribus, ufui eft; hoc modo, quamvis lautius vivitur, plethorae optime obviam eundum eft, excretis nempe et ingeftis intra juftas normas redactis et in aequilibrio retentis. Balneo marino liberius uti fas eft: In tonicis quoque et aftringentibus, per tempus aliquod perfiftendum; exhibitione tamen eorum, prout res poftulat, intermiffa, ne ufus, corticis praefertim, affiduus, injuria ventriculum afficiat.

T A N T U M.